

Proponitur quoque decretum *de vita et honestate clericorum*, quod legitur et refertur ad Congregationem de *Decretis*.

Refertur etiam ad eamdem Congregationem decretum *de Juramento*.

Hora undecima recessunt Patres.

### *Tertia Congregatio privata.*

Hora nona cum tribus quadrantibus, feria secunda, die vigesima nona Maii, conveniunt Patres loco consueto.

Quædam quæstiones circa disciplinam referuntur Rmis Episcopis Bypolitano et Trifluvianensi ut examinentur, competenti modo formulentur et de novo Rmorum Patrum judicio subjiciantur.

Legitur decretum de *Parochis et aliis animarum curam gerentibus*, cuius discussio, non completa hora undecima cum tribus quadrantibus, continuabitur in proxima congregatione privata.

### *Quarta Congregatio privata.*

Eadem die, hora tertia post meridiem, conveniunt Patres.

Discutitur de novo decretum *de Parochis et aliis animarum curam gerentibus* et jubetur deferri ad Congregationem de *Disciplina*.

Discutitur etiam decretum *de administratione Bonorum Ecclesiarum*, et refertur ad eamdem Congregationem.

Hora sexta discedunt Patres.